ICONES

VETERUM

N°
5741
0/0e
290 f
Bxx 16/5

Portraits des grands hommes ... à ... ... 
ne sambuci, antuerpiae. 1574.


N° 1. hygiaea.
2 apollon.
3 chiron
4. Esculape.
5. machaon.
6. homere
7. pythagore
8 thales.
9. hyppocrate
10 [illegible]
11. aretaeus.
12. platon.
13. aristotelles
14. [illegible]

N° 20. Dioscorides.
21. zenocrates
22. pline.
23. aegineta
24. Ruffus.
25. appolonius.
26. heraclius, tarent-
27. pamphilus
28. Joan. b. monte
29. [illegible]
30. brongnaraeta
31. Silvius.
32 Vesalius.
33 [illegible]

8. thales.
9. hypocrate
10. hypocrate
11. [illegible]
12. Platon.
13. aristotelles
14. theosphorse.
15. nicander
16. crateras
17. nijer
18. Selsus
19. gatenus.

27. pamphilus
28. Joan. b. mont[illegible]
29. fernelius.
30. [illegible]
31. Silvrius.
32. Vesalines.
33. gesnerus.
34. [illegible]andernachus
35. brassavolus.
36. p. Jovrius.
37. fuctius
38. g. agriole

46531




# ICONES VETERVM ALIQVOT, AC RECENTIVM MEDICORVM, PHILOSOPHORVMQVE ELOGIOLIS SVIS EDITÆ, OPERA I. SAMBVCI.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXXIIII.

# IOAN. HENRICHO HERVVARTO, PATRICIO AVGVSTANO IN PRIMIS MAGNIFICO VIRO, LITTERATOrumque fautori, Samb. S.

NÆ TV MINERVIVS es, iuſteque γλαῦκα pro inſignibus domus, nobilitateque præfers, qui aliis amplius vides. Quanto enim ſtudio cunctam vetuſtatem, & impenſis initiò ſis complexus, quanto pòſt ſingula iudicio tum diſcreueris, tum interpretatus ſis, vniuerſa pæne Europa locuples teſtis eſt. Cumque non minimam partem ſoliciti conſilij tui effigies Principum, & Heroum eſſe intelligam: Philoſophos quoque & Medicos ne negligas oro, vel potius ἀποδίδοντα ὀξυώω. Ac ſcio multos hoc ipſo argumento libellos hodie in vulgus produci: ſed, quod Plinius, & Ælianus de Homero fatebantur, idem cenſeo de multorum editionibus: Icones ad hiſtoriarum deſcriptiones penicillo informatas, non de protypis ectypa reddita. Quòd ſi in his quoque noſtris eius aliquot generis deprehenderis: mihi id vitio non vertes: qui iſta, amicorum fide, ac teſtimonio, de ſtatuis, ſignis, tabellis, partim numis haud recentis memoriæ, atque vetuſtiſſimorum codicum veſtibulis comportarim; ſuperſtites ad cuiuſque ætatem ſimulandos curauerim. Quidquid eſt operæ, tibi dono; cuius ego ſemper ingenium, humanitatem, doctrinam commemorare ſoleo, ſplendorem, opes, nobilitatem canendam aliis, ne in aliquo offendam, relinquo. meque cum hacce, velut ſtrenula, tibi commendo. Vale, Vienna ipſis Kalend. Ianuar. M. D. LXXIIII.



Tu ſcopus, & finis noſter, fautrixque laborum
Adſis, auſpiciis formula ſana veni.
Edito quod rarum eſt, theſauros prome benignos,
Thurea ſic aris grana, decúſque feras.



Mortua reſtituis, maturis frugibus imples
Horrea, das ſuccum vitibus, apta fauo.
Te ſine amor languet Medicinæ Inuentor Apollo:
Fautorem Muſæ, cunctáve nata canunt.



Phillyra te genuit, qui herbarum viribus vlcus
Infandum curas, Aſtrologóſve mones.
Ritè Aſclepiadem formas Saturnia proles,
Herba gerit nomen, fama ſuperſtes agit.



Te radiis luſtrans Phœbus quot honoribus auxit,
Abdita naturæ munera noſſe dedit.
Tu facilem morbis curam, monſtrásque leuamen:
Vſibus humanis hæc redigísque lubens.




Haud te degenerem patre fers, celebrande Machaon,
Qui Troïæ reſeras clauſtra, facéſque paras.
Artis tu cogis canones, Podalirius ipſe
Miratur frater, non ſiluítque nepos.




Hæc eſt Mæonidis facies, hæc lumina cæca:
Sic veteres numi, marmora noſtra tenent.
Inditur hîc, quoniam Chirurgum Phœbus amauit,
Expoliit, Vatum principem & eſſe iubet.



Hic ſophiæ princeps Italæ, Samiúſque magiſter
Explicuit partim quæ latuêre diu.
Iſte μετεμψύχωσιν ait, faba, brutáque ſordent,
Sacra fit ex obitu relligione domus.



Ionicæ hic auctor ſectæ, & moderator eorum,
Qui ſe noſſe putant, dicitur eſſe Thales.
Intima ſcrutatus naturæ denique longis
Commoritur ludis, enecat aucta ſitis.



Qui dias memorem laudes, repetámque fideles
Ingenij dotes, Hippocratíſque decus.
Democriti auditor Phœbea, ô, Coë propago,
Certius an quis te tradidit artis opes?



Effigiem ſimulat veram qui pinxit ab arte,
Nemo oculos damnet, quæritur ingenium.
Nam cui præſtantem formam natura negauit,
Pectore compenſat talia damna pio.

ARETÆVS. II.



Tu breuis, obſcurus, nec vocula pondere priua,
Gloria Cappadocum proximus Hippocrati es.
Goupylus à tineis ſeruat, te Craſſus honorus
Induit Auſonia veſte: legêre diu.



Et ſtudio rixis vacuo, & ciuilibus ortus
Rebus, ab æterna poſteritate viget.
Semina philoſophis, & fundamenta locaſti;
Arguit ingratè quantus Ariſtoteles?



Parua Stagira decus tantum proferre ſophorum,
Implere & potuit Solis vtramque domum?
Nemo acie ingenij, par verbis nulla facultas,
Vt miſſum terris numen honore colo.



Dulcius expreſſit te verbis nemo politis
Materias Medicûm, quidquid & orbis alit:
Inde tibi venit diuinum nomen ab ore,
Diſcipulus tanto dignus Ariſtotele es.



Quod genus inuitæ mortis, lethale venenum
Contineant in ſe beſtia, & herba, doces.
Propterea Victor Nicandri nomen adeptus
Perpetuò extabit: virus at omne fugit.



Rizotomi labor, & magni eſt faciunda voluntas,
Prætulit hic aliis victor in arte facem.
Quippe Dioſcorides multis præponit, & ornat,
Iudiciumque ſagax non ſine amore tulit.



Lauderis quamuis aliis, clarum extiterítque
Olim opus herbarum: te Chamelæa fugit.
Euphorbij ſuccos neſcis, ſimul Andros & hæma
Narrata exponis, non oculata fides.



Auſonias Coüs votis perductus in oras
Edidit hunc fœtum, veſte fouétque ſua.
Hic puris repetit verbis quæcunque probantur,
Et ſuperat molem, Forliuiane, tuam.



Explicat Hippocratem, nec latum præterit vnguem;
Eloquio ſectas, Theſſalicoſq́ue mouet.
Nulla eſt cognitio, non experientia rerum,
Quam non attigerit, perpoliítque ſimul.



Simplicium vires obſcura nocte reuelas,
Deſcribis forma, quæque colore ſuo.
Aſſeris hanc partem diuinè, externaque vana
Ne nos decipiant, te monitore, patent.



Etſi qui fueris non affirmare licebat,
Hoc lego quòd plures nomine ſæpè viros:
Te tamen herbarum gnarum vetus illa fuiſſe
Prima Dioſcoridis pagina noſtra monet.



Naturæ cornu, variarum copia rerum
Plinius eſt, alio plenior Hiſtorico.
Hoc enchiridio comite es potis vtier omnis,
Sed niſi iudicio, ne proba cuncta putes.



Pergameos metit hic campos, præſepibus arcet,
Ad fontes rectum ſimia pandit iter.
Laudamus tales, quibus eſt mora nulla legendi,
Auctori faciles damna ſed vſque ferunt.



Scripta quidem noſtras huius venêre ſub auras
Pauca, ſed excellens ordine, & arte fuit.
Traianus coluit Medicum, ſecreta notabat;
Ne pereant, lector, tot monumenta, caue.



Forſan hic agricolis præſcripſit tempus arandi,
Vel qui mixturas, pharmaca prompta dabat:
Hunc quidam cenſent καὶ δῶρον Apollinis εἶναι,
Filius ἔμπειρος cum patre ſorſan erat.



Si quæ cognoras tractaſſes pluribus vſum,
Iunxiſſes herbis iuſta metalla ſuis:
Nunc ſtares maior, tibi Anazarbeúſque faueret,
Nóſque tua dites efficeremur ope.



Cur audita refers, nugarum mole laboras?
    Cur hortos, ſtirpes excoluiſſe nequis?
Erras in multis, lenta & clemattide: nomen
    Conatúſque manent non ſine laude tamen.



Ars fuit huic maior quàm Coo, par ferè acumen;
Nec cedit verbis large Galene tuis.
Tempora poſt illa hic meritò quoque ſummus habetur,
Spiritus hunc methodi, praxis agítque virum.



Te ſol produxit dubia vt paradoxa valerent,
Senſibus vt liquidis arsq́ue pateret Auûm.
Ingens Ferneli, τὸν καὶ φέρει ἥλιος ἄνδρα,
Orator, Phyſicus, Celſus & alter eras.



Obruta Cimmeriis monumenta Galenica θρίγγοις
Extrahit, interpres docta per ora volat.
Conducunt Veneti magno, medicamina dextrè
Formantem mors, heu, non properata rapit.



Barbariem purgat, reuocat meliora docendo,
Audit decrepitum concio multa ſenem.
Pharmaca correxit: nimium tribuiſſe Galeno
Dum ſtudet, errores detegit vſque ſuos.



Quis ſine te felix Medicus, promptúsque Cherurgus?
Ni artis ſubiectum, membra, ſitúmque ſciat?
Sæcula tot pars hæc latuit, porcum atque catellos,
Non homines priſci diſſecuêre Sophi.



Scriptorum pelagus celeri aura peruolat omne,
Et Latio donat multa, notátque ſtatim.
Nil mare, nil tellus gignit, nil purior aër,
Romuleo, & Graio quin ſciat ipſe ſtylo.



Gallia te iuuenem audiuit, Germania ſeruat,
Vtile conſtanter dum profiteris onus.
Interpres artis Veteris, πολλῶν τ' ἄκος ἀνδρῶν
Sanas, quos alij deſeruêre diu.



Omne tulit punctum, myrothecas excutit, amplè
Hippocratis gnomas expediítque breues.
Sedulò verſatum ſcriptis melioribus Index
Significat: drachmam fœnerat inde ſuam.



Vndigenam gentem dum conſectaris in Vrbe,
Et leni curas morbida membra via:
Mox ſacer abriperis ſtudio, ſubitò arma, ducéſque
Concinis: hunc hamum ſæpius eſca fugit.



Inuida multorum te exercuit vſque Voluntas,
Vera tuis creuit ſed Medicina ſcholis.
Herbas in primis noras, ϗ φάρμακα πάντων,
Contrahere artifici ſenſáque lata modo.



Quid Medici poſſent manibus? quas iungere plagas
Vlceribus ſordes, ſigna mouere loco?
Extitit hic ſolus qui pondera, viſcera Terræ
Rimatus, nobis bella metalla fodit.



Quot Graios Latia donaſti veſte, quot artem
Túque ſalutarem partibus accumulas!
Nil metuis fucos: veterum monumenta repurgans
Eruis è tenebris, publica vota iuuas.



Matthiolo primas qui defert, lector, in herbis,
Iure facit: gratos talibus eſſe decet.
Cúmque dies aliam doceat, tamen omnibus vnus
Plus tulit hic lucis nónne Dioſcoridi?



Oceanum, ac Tiberin penetras, farragine luces
Squamigeræ pecudis, Cærula regna domas.
Cardinei proceres, te Romaníque verentur:
Nomen, dum piſces vnda fouebit, erit.



Nerea tu viduas, piſcoſi fluminis alueos
Detegis, & propriis nominibus celebras.
Pharmaca quid valeant per ſe, quid mixtáve narras;
Te maior vulgo nemo Cherurgus erat.



Cæſaribus ſi quis multos inſeruiit annos,
Acceptus magnis principibúsque fuit:
Te, Iuli, vatem poſſum, Medicúmque fateri,
Doctrina in cuius gratia tanta nitet.



Cur te Cæſaribus fidum mea Muſa ſileret,
Qui noua, quæ geſtis ſcire Galene, doces?
Et vetera illuſtras methodo: depellis ab arte
Fucos, Montano & digna referre ſtudes?



Fontibus hic puris haurit, quæ ſcribit, & annis
Tot celebri docuit nomine Louanij.
Euocat hunc Cæſar longè ſibi Maxmilianus,
Cuſtodem & proprij corporis eſſe iubet.



Altum componit Mare, tot motásque procellas :
Vos cautè vector Scylla, Charybdi fugit.
Quàm felix operis, tam ſuauis moribus, arte
Semper erat: Tumulus Parthenope patria eſt.



Difficiles ſoluis nodos, nec maſſa, chaóſve,
Expoſitor dici munere debueras.
Ante alios morbi fœdantis gallica membra,
Et praxin clarè nocte, diéque polis.



Hoc decus Harlemi latitat, cæleſtibus iræ?
Tantæ, qui dignus luce, alióque loco eſt?
Sed ridet fumos, ſolida Virtute ſuperſtes,
Hiſtoriis patriæ nónne ſupremus erit?



Copia, & ingenij vi eſt Argenterius acri,
 Nil reticet, potis eſt diſſimulare nihil.
Sed noua non cudit, nil indictumque recenſet,
 Candor ineſt ſtudio, nec labor vllus abeſt.



Carmine Virgilius, Medicina Phœbus, & arte,
Hiſtoria immenſa Liuius alter eras.
Tu niſi Faſtorum rationes, abdita primus
Tractaſſes, quid nunc marmora ſacra forent?
Præſidis officio rexiſti iure Viennam:
Te Phœbum, & Vatem, Ius quoque nemo negat.



Fortiter aggreſſus Myropolas ornat, & auget,
Egregios addit, iungit & arte modos.
Dúmque viget Romæ teneræ ſub flore iuuentæ,
Inuida Germanis ſuſtulit hora decus.



Eruta Cimmeriis Aduatica rara tenebris,
Ingenij dotes quid valeasque, docent.
Te Regina ſoror Caroli, te Myſtica norunt:
Crediderat quis te tanta fouere ſinu?



Spiritus hunc proprius verſat, præcordia raris
Dotibus extollit, ſidera clara mouet.
Neſcio quid dicam, mirabor: nil latet iſtum,
Quàm legiſſe putes ſcribere plura ſolet.



Scaliger elogium quoduis, laudéſque reportat,
Nec Medicos inter gloria parua ſtetit.
Cenſor, & interpres rigidus genus omne reuoluit,
Expedit auctorum lance: vetuſta ſapit.



Nulla quies mulæ pellit Victorius acres
Dum morbos, prodeſt conſiliisq́ue bonis.
Sexaginta annos docuit, congeſſit aceruo
Praxin, & expertus multa legenda dedit.



Nil commune tenet nomen cum pectore ſacro,
Subtili ingenio tot monimenta fluunt.
Plurima conuertit, ſcripſit ſua, cuius Areteus
Quàm proprio mauult tegmine vbique legi.



Barbariem raris medicinis penſat, & altis
Conſiliis tractat: claruit arte ſatis.
Miſcendi ratio minus huius tempore nota
Illuxit, formas compoſuitque nouas.



Fidus, acutus erat, medicando crebrior ille
Febres diſcuſſit, balnea tuta facit.
Clara domus Patauij, natura blandus auaros
Exoſus, nomen fixit vtroque polo.



Haud Italo, aut Gallis poſtponam Lazia ſcripta,
Gnauiter ἰητρῶν vela ſecutus erat.
Colligit Auſtriacam ſobolem, Romanaque caſtra,
Vt migrent gentes. plura daturus obit.



Hic methodis luſtrat ſubſellia, pleuritidisque
Curandæ certum monſtrat honore latus.
Afficiant certi vt loca morbi, pharmacopœi
Vt vigiles degant Curtius admonuit.



Diſſimulent alij quamuis tua nomina, qui ſe
Adiutos norunt, te mea Muſa canit.
Quippe Tragi fimo multorum ſemina florent,
Hortorúmque Hirci pectore creuit odor.



Non ſine doctrina mediocri ſcribere poſſet
Tot ſecreta, minus ferre ſalutis opem.
Sed quia dicuntur pauci ſua dogmata noſſe,
Facta Antimonij eſt Αντινομία loco.



Hunc Chriſti ex Paulo certus comprenderat æſtus,
Philoſophus, Vates, magnus Apollo fuit.
Graios cum Latiis voluit conferre cothurnos,
Effigiem hanc Codex dat, ſimulatque vetus.



Dum Graias vrbes, fluuios, monimenta vetuſta
Commemorat, regio quidquid & alma fouet:
Maxima ſubiicitur naturæ copia rerum,
Vt meritò Phœbi ſede locandus ouet.



Perſpicuus Doctor, rura, herbas, prata, vireta,
Arboreos cultus, deliciáſque tenet.
Tempora diſtinguit, Medicinas comparat arti;
Conſulit & viuos qua ratione iuuent.



Quis te φιλοσόφων μείζων, quis acutior alter,
Quot Medicos ſtatuas inferiore loco?
Interpres ſanus ſummi viget iſte Platonis,
Seria vulgauit, quæ Medicina tegit.



Te, qui præclaros Medicos depingis, & ornas,
Quid fugit? es pectus, bibliotheca, labor.
Facta Ducum texis, ſcriptores vndique clauſos
Exquiris, ſtudio Græcia, Roma patet.
Vulgò graſſantes morbos, Anazarbea purgas:
Dij tribuant vitæ tempora longa tuæ.
Dij ciues, vrbem, qui te genuere parentes,
Pannoniam & foueant, nil minuantque dies.

3